



CAPTIO LINCOLNIE

Posted on December 1, 2023 by Anonymous



Pugna Lincolniensis fuit [magnae pugnae mediae aetatis](#). Hoc carmen pugnam et reparationem describit. Hic versus descriptionem pugnae saeculo decimoquarto in prima parte conscriptam fuisse verisimile est. In uno codice extat: MS. Cotton. Vespas. B. XIII. fol. 130, vo.



Incipiunt versus de Guerra Regis Johannis.

Serpserat Angligenam rabies quadrangula gentem.
In proprium jurata jugum, motuque minaci
Gens sibi degenerans, ut libera serviat, alta
Corruat, incolumis ægrotet, tuta pavescat,
Vendicat antiquas inimico consule leges;
Non legis libra, non juris luce, nec igne
Sacri consilii, sed nec lima rationis,
Fulgurat in vetitum spreta ratione voluntas.

Prima fuit rabies proprio concepta tumore;
Altera belligeras Francorum traxerat alas;
Conduxit nigras Scottorum tertia turmas;
Flexit quarta leves tenui sub veste Galenses.

Fœdera rumpuntur pacis, tonitrusque minaces;
Serpsit in attonitas corrupta licentia tures,
In quibus ægra fides latuit, medicumque salutis
Expectata diu, tandem de munere Christi
Convaluit, traxitque suas in bella cohortes.

Hæc rabies patiente Deo permissa parumper
Non concessa fuit, ut molles fulmina mentes
Comburant, nec ut ira Dei confundat inermes.
Sed cordis scrutator oves deserta petentes

Errantesque diu proprio revocavit amore,
Vapulet ut meritas medicato verbere culpas,
Divinasque minas clementia patris amicans
Ubere materno lenivit verbera patris.

Anglorum nutabat honor, regnique venustas,
Inclinata caput divini iudicis iram
Senserat, et tumido timuit servire tyranno.
Pendula palma, diu dubio protracta favore,
Nunc risit Gallis, nunc risum contulit Anglis,
Verius applaudens istis, fallacius illis.

Non tulit ulterius regem regnare furentem
Vindicis ira Dei; cecidit percussus ab illo
Cujus templa, domos, combusserat igne minaci.
A face fax oritur fati, flammæque furorem
Dum furit in regem febris vindicta fugavit.
Summus honos mors illa fuit, culmenque decoris
Attulit, in nullo quod erat superatus ab hoste,
Et tot erant hostes; victus victore superno,
Invictusque suos hostes moriendo momordit.

Desinat ira tumens; discat servire potestas
Curvarique Deo, cui subdens colla resurget;
In surgendo cadet: brevis est humana potestas,
Et brevibus discat finem properare diebus.

Planxerat extinctum regio viduata Johannem,
Degenerique timens sua subdere colla marito
Invocat Angligenas Anglorum lacrima vires;
Quo gravior dolor est, propior medicina doloris.

Fulserat interea minimæ scintillula formæ,
Regia progenies, laceri spes unica regni,

Stella quasi succensa Deo, nubemque paternam
Exuit, irradians nova lux, stellasque fugatas
Fulmine de patrio pueri candela vocavit.

O Pietas preciosa Dei! qui magna magistrat,
Fortia confundit, infirma levat, feritates
Fulminat, inflatos frangit, qui virginis alvo
Parvulus egressus, parvum suscepit alendum,
Ecclesiæque dedit gremio, quem matris in ulnas
Blanda parens recipit, nato blandita parentis
Obsequio, teneram capiti positura coronam.
Consilium cœleste fuit, quod consona sacri
Unio consilii regi parere puello
Non timuit, timuitque magis servire tyranno.

Unio sacra novum maturat ad ardua regem;
Utilitas, pietasque, fides, concurrere fatis
Conjurant, cunctos[que] crucis signare sigillo;
Constiterant vexilla crucis, regemque novellum
Ambierant, bajulosque crucis crux alba decorans
Instabiles statuit fidei fundamine turmas.

O famosa viri legatio, lima beati
Consilii, sidus recti, speculum rationis,
Gala dei cultor, curæ cristata galero!
Anglia victrices strinxit divinitus enses,
In commune bonum fundunt castella catervas
Signiferas, belloque truces, hostique minaces.

Tempus erat quo terra novo pubescere partu
Cœperat, et teneras in crines solverat herbas,
Vellera pratorum redolens infantia florum
Pinxerat, et, renovas crispans coma primula silvas,
Innumeras avium revocavit ad organa linguas,

Gallica tum rabies aquilonis adhæserat Anglis,
Conjurata manus medios transire per Anglos,
Londoniis egressa suis, longasque latebras
Deseruit Lodovica cohors, comitesque superbos
Concessa pudet ire via, Montique Sorello
Subsidium ferale ferunt, nam quo magis illum
Major palma colit, graviorem ferre ruinam
Præcavet ira Dei; sed cautior inde recessit
Nobilitas comitum, fidei flos, regia virtus,
Cestrensis clipeus, donec frendente tumultu
Transierat rabies notum super ardua castrum,
Trigintæque latus, longique superbia belli
Fluxit ad obsessam matronæ nobilis arcem.

Huc ubi fata feras fremitu flexere phalangas,
Fama volat, comitesque vocat, comitumque sodales
Cestrenses, crescitque seges clipeata virorum.
Regia signa micant, et conjurata sequuntur
Agmina, clara fides cum denique protrahit ora,
Candida signa crucis juvenum præstantia pingunt
Pectora, consolidat communis corda voluntas;
Vincendi spes una fuit, victoria cunctas
In facies præmissa patet, plausuque secundo
Permittunt socias in consona prælia dextras.

Instabat sabbatum quo festa peracta superni
Flaminis, et trinum celebrat deitatis honorem
Vespera; sol prima lambebat lampade terras,
Cum tuba terribili dederat præludia cantu;
Bella movent ferrata duces, tot signa videres
Nutantes tremulo galeas superare volatu,
Tot clipeos vario mutantem signa colore.
Fulsit in armatas solaris gratia turmas,
Febricitabat iners, validabant corda feroces.
Venit ut attonitam constantia Martis ad urbem,

Terribili juvenes muros cinxere corona,
Rimanturque novos aditus; nec protinus urbem
Invasere duces; legatio mittitur intus
Sacrilegos revocare viros ad foedera pacis.
Nec placuit pax ulla feris, convitia fundunt,
Legatos spernunt, adduntque minacia verba.

Irrita legati postquam mandata reportant,
Magnanimos monet ire duces; tum bellicus horror
Infremuit, tonuere tubæ, mugitus in auras
Horridus insurgit, et, constrepitante tumultu,
Mirari poterant terrena tonitrua nubes.
Transiliunt fossas, transcendunt mœnia, portas
Confringunt, aditus rumpunt, et prælia miscent.
Et gladiis fecere viam; confusio digna
Sacrilegos sternit, fundunt examina Christi
Ferrigeras Mavortis apes, stimulisque timendis
Hostiles penetrant tunicas, squamosaque ferri
Texta secant, Saulosque trahunt ad vincula Pauli,
Reddidit et lepores conversio sacra leones.

Hic Moyses in Monte stetit, Josue stationem
Fixerat hic solis, magnum premit inde Goliam
Funda lapisque David; vidit venerabile mirum
Lincolniensis honor, vidit maris ira trophæum
Imperiale Dei, vidit quadrangula pestis
In se victrici vexilla resurgere palma.
Vidit, et obstupuit, sensitque superbia belli
Pro puero pugnare Deum; nec sponte quievit,
Sed crepuit, pacisque pedes in colla recepit.

O famosa dies, nostrum veneranda per ævum!
Bellica qua rabies latuit, qua pacifer ensis
Pestiferas domuit partes, qua gratia Christi

Dedecus extersit natum, fideique lavacro
Proluit inscriptum versa de fronte pudorem.

Expliciunt versus de Guerra regis Johannis.

Featured: *Secunda pugna Lincolniensis*. Matthæus Parisiensis, *Chronica majora*, volume II, folio 51v (55v),
annis 1240-1253.
